

Nathan Chyträus


**EPITHALAMIVM || CLARISSIMO || uiro, D.SIMONI PAVLO || Sacrae Theologiae
Doctori, || et pudicißimae uirgini, RE=||GINAE, filiae D.LAVREN=||TII SMEDES,
Senato=||ris inclytæ Reipub=||licæ Rosto=||chianæ. || Scriptum || A || NATHANE
CHYTRAEO.||**

Rostock: Möllemann, Stephan, 1561

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1670867226>

Druck Freier  Zugang






Duelle: Familien-schriften S. Pauli

VD 46 C 2775

UB FP Pauli, Simon 1561






EPITHALAMIVM
CLARISSIMO
uiro, D. SIMONI PAVLO
Sacrae Theologiae Doctori,
& pudicissimæ uirgini, RE-
GINAE, filiae D. LAVREN-
TII SMEDES, Senato-
ris inclytæ Reipub-
licæ Rosto-
chianæ.

Scriptum
A
NATHANE CHYTRÆO.

M. D. LXI.

2.

S. Pauli - Familie 1811



EPITHALAMIVM

Clarissimi uiri D. SIMONIS PAULI
sacrae Theologiae Doctoris, & pu-
dicissimae uirginis REGINAE, fi-
liae D. LAVRENTII SMEDES,
Senatoris inclytæ Rei-
publicæ Rosto-
chianæ.

Wernouij gelidis locus est conterminus undis
Blandus ubi uiridi uestitus gramine cam-
Leniter & nitida decurrens riuulus unda, (pus,
Exhibet & gratas arbor spaciantibus umbras,
Fragrantesq; Rose uicinæ mœnibus urbis
Nomen, & attribuunt grati spiramen odoris.
Hic ego dum cernens orientis lumina Solis
Alituum cantu recreor, plantasq; uirentes
Et tumidas leta demiror in arbore gemmas:
Dumq; solum late letos diffundit odores,
Et uolucres animum dulci modulamine mulcent:
Mox amor & dulcis consuetaq; cura canendi
Insinuat mihi se. Leta sed carminis unde
Principium ducam, dubia dum mente reuoluo,
Tu mihi docte SIMON leto subis omine, leto
Tempore nam fas est thalamum cantare iugalem,

A 2

Et tibi

Et tibi legitimas gratari carmine flammæ.
Ergo alacris calamus leni resonante papyro
Accipiens uiridi me colloco cespitè terræ.
Quiq; tuum thalamum, cunctos uenerande per an-
Præceptor celebrent, tento deducere uersus. (nos
Sed bene uix cœpi, calami dum forte remissi
Excidit & digitis sonitu stridente papyrus.
Et uox orti meas (mirum) peruenit ad aures
Suaue melos gratumq; sonans, non illud Oloris
Carmen erat miseræ quo fatis propinqua senectæ,
Et lenire solet supremam funeris horam:
Nec Philomela tuum, sic nil mortale sonabat,
Non ego crediderim tam blandos Orphea cantus
Ad Cytharam cecinisse suam, cum carmine siluas
Immanesq; feras & saxa subinde trahebat.
Nam niueos etiam uicino in flumine Cygnos
Oblitos pastusq; sui uocisq; canoræ
Mirifica uidi cantus dulcedine captos.
Vernouiusq; pater madidos ex flumine uultus,
Et quos alga uirens rorantes texerat artus
Protulit, ac udos remouens à fronte capillos
Impiger & mulcens crines barbamq; senilem,
Astitit attonitis arrectis auribus, atq;
Audiit insolitas lætus prope flumina uoces.

Dumq;

Dumq; ego quis tanta posset dulcedine carmen
Fundere demiror, mens & mea cogitat, illic
Forſitan angelicas Chriſtum celebrare cohortes,
Ecce nouem forma uideo præſtante puellas
Quas inter Phœbus cunctis excelsior ibat.
Harum diuinam faciem cultumq; decorum
Vix uideor rudibus deſcribere poſſe camœnis,
Quelibet ornatos hederis innexa capillos
Ibat, & ingenuum ueneranda modeſtia uultum
Et citharæ dextras ornabant. Protinus ergo
Impoſitum capiti flexo pede detraho tegmen,
Et ueneror dulces præſentia numina Muſas.

Dumq; ſtupens faciem miror cultusq; dearum,
Inter eas uideo nitidam reſidere puellam,
Quæ caput extulerat per cunctas nobilis artes,
Non illa melius quiſquam quæ tradita cœlo
Dogmata uenerunt, uel relligionis honorem
Nouerat humanis in fundere mentibus, illa
Iuſtiæ leges norat, uiresq; latentes
Plantarum, cœliq; uices, & conſcia facti
Sidera, quin uarijs etiam mirabile linguis
Conceptos poterat mentis depromere ſenſus.
Si queris quænam fuerit, quo ſanguine creta,
Doctorum cultrix ACADEMIA clara uirorum

ROSTOchiensis erat, celebres quæ prouida misso
Carminè Pierides has inuitarat in oras.

Hanc, ubi dixissent suaues sua carmina Musæ
Calliope sociam sic est affata puellam.

Cum modo cara soror nostræ modulamina uocis
Audieris, petimus nobis ut grati uicissim

Commemores aliquid, quod tempora longa uideri
Non sinat, & uacuas resonando mulceat aures.

Dixit & id reliquæ nutu petiore sorores.

Sic igitur castas ACADEMIA docta puellas

Dulcia demittens pudibundo lumina uultu

Alloquitur, nec abest facundis gratia uerbis.

Si uos Castalij dulcissima numina fontis

Vsq; adeo nostram inuiat exaudire loquelam,

Ordiam exili uobis depromere uersu

Quam mihi fortunã dederint, quem fata tenorem,

Hactenus in uestro uicina rosaria cultu

Dum tueor, foueoq; meos constanter alumnos.

1420. Cum iam mille forët anni post tempora Christi

Lapsaq; cum lustris totidem quoq; secla quaternis,

Me iussere uirens hoc inhabitare rosetum

Inclytus ALBERTO dux cum patruèle IOANNES,

Qui ditionis opes huius cum laude regebant.

Quorum qui prior est IOANNES nomine, Magni

Filius,

Filius, ac abauus tuus o clarissime Princeps
IOANNES ALBERTE fuit, qui tempore nostro
Aseris abiectas magna cum laude Camoenas,
Munificaq; manu sacras colis inclutus artes.
Alter at ALBERTVS princeps laudabilis, ortus
ALBERTO genitore fuit, qui Martius heros
Gotthorum Sueonumq; gerens regalia forti
Sceptra manu patrias tandem regressus in oras
Finijt erumnas miseræ per funera uite.

Ante quater septem genitrix mea nobilis annos 1492.

Erphordina uiris præstans Academia doctis,
Blandus Hiera suas ubi uoluit molliter undas,
Tyrigetum claris primum consedit in oris.
Lipsia tunc lustris Academia nota duobus
Ad fluuios lapidose tuos habitarat Elister,
Pragensis cui mater erat Schola nobilis illo
Tempore, nec nostro multis ignota sub æuo.

Ex his ergo Scholis nostras uenere sub oras
Laude Professores magna, qui cælitus artes
Concessas hominum generi linguasq; docerent,
Et regerent iuuenum mores, qui uestra frequenti
Numina uoce uocant, celsi dum culmina montis
Exuperare student, magno sudore sequentes
Virtutem, laudisq; decus, famamq; perennem.

A 4

Principis

Principium sat dulce fuit, meliora subinde
Omnia crescebant, cum sedulitate iuuentus
Leta docebatur, sat magna frequentia turbæ
Tunc discantis erat, uestris cultoribus ædes
Magnifici splendoris erant, collegia uobis
Octo decemue breui sunt tempore structa, putassem
Posthac me placidæ fruituram munere pacis
Perpetuo. Mea me sed opinio uana sefellit.
Nam uelut assidue miscentur tristia letis,
Lubrica nec certum seruat fortuna tenorem:
Sic etiam breuis hæc & mox ruitura uoluptas
Est subito magna serie pensata malorum.

Plebs inimica suis mortem cum cæde minatur
Consulibus, patriam ni linquant protinus urbem,
Quid facerent illi? genus irritabile uulgus
Esse sciunt, quod cuncta probet, quæ cæca libido
Suaserit, & nulla mentem ratione gubernet
Discedunt igitur. Synodus tunc forte coacta
Basiliensis erat, per totum nobilis orbem
Cuius ob auxilium dubiam sperare salutem
Incipiunt patria pulsæ, nam protinus illo
Percepto Synodus facta, cum ciuibus urbem
Proscribit damnatq;, simul nil tale merentem
Me migrare iubet solitasq; relinquere sedes,

Hicce

Hisce minis nimio mox consternata dolore
Gryphis in apricas fugio ceu percita siluas,
O utinam nostris potius remanere sub oris
Nec subito solitas uoluisssem linquere terras,
Non ego tam uarios essem perpeffa dolores
Hactenus, & fatum tantas non flebile uires
In uestros simul atq; meos habuisset alumnos.
Exilium mihi namq; tulit mala maxima, quorum
Ne remouem ueteres nolo meminisse dolores.

Hac tamen incepit primum ratione modoq;
Hospitium fieri uestrum Gryphswaldia, cuius
Nunc etiam decus ingenti cum laude tuentur
Quos celebres uirtute Duces Pomerania iactat.

Inde sed in ueterem rursus discedere terram
Dum uolo, meq; suo tam pulchra rosaria cultu
Alliciunt, misera sum conditione recepta
Iniustusq; modis, post incunabula Christi
Cum Quadringenti, tres, & iam mille fuissent 1443.
Anni cum lustris lapsi fugientibus octo,
Attamen hæc utcumq; tuli, & superare ferendo
Assidue studui, namq; hæc uictoria summa est
A multis mala posse pati, ac nihilominus illis
Ceum bene promeritis ingentes dicere grates.
Ac studui semper uicinis gentibus omni

A 5

Ac pos

Ac populis prodesse modo, dum munere fungor
Sedula commisso, tempestatesq; sonoras
In statione manens pator, uiridemq; iuuent:m
Erudiens, summa cum sedulitate propago,
Officij sat gnara, sacras non segniter artes.

Perfida sed nostris iterum sors inuida cœptis
Post annos aliquot fluidæ contagia pestis
Immittit, quæ mox pecudes uolucresq; canesq;
Inde homines etiam miseranda strage peremit.
Ah quoties lacrumans genitor cum coniuge uidit
Viscera torreri natis, miseroq; patere
Ignea labra modo, gelidos captantia uentos
Qui calidi tunc prorsus erant nimiumq; tepabant:
Illos nec sua strati pati, nec tegmina posse,
Nuda sed in duram præcordia ponere terram,
Leniat insolitos accensi ut pectoris æstus.
Dumq; dolet nati miseram cum coniuge stragem
Huic & semper adest scruiq; fideliter ægro,
Ilicet ipse cadit, penetransq; ad uiscera morbus
Pestifer, & subito ueniens mors tollit utrumq;
Sæpius inq; uijs inhumata iacere uideres
Corpora cum porcis, sædo inficiuntur odore
Omnia, uenturæ nec spes est ulla salutis.
Cultores igitur uestri cum cuncta uiderent

Plena

Plena cadaueribus, celeri pede protinus omnes
Hinc migrare parant, simili ne funere caesi
Forsitan intereant, sed inuitabile fatum
Obstitit, & patriam multis contingere terram,
Supremumq; uale patribus matriq; gementi
Dicere non licuit, sed in his occumbere terris
Tristia fata iubent, patrio procul orbe remoto.
Ipsaq; relligio tristi mutata tumultu
Fecit ut in patrias penitus discedere terras,
Aut alibi potius Studiosi uiuere uellent.
Hinc igitur multos prorsus deserta per annos
Atq; relicta sui, longo & uos tempore Musæ
Non uidi nostras citharæ concentibus oras
Mulcere, aut alacres Phæbo præeunte canoro
Ducere cum Nymphis ad plectra arguta choræas.

Donec in hoc tandem princeps doctissimus æuo
IOHANNES ALBERTVS opem mihi prouidus
Auxilio tulit, atq; uiros accersere doctos (omni
Cœpit, & hos mecum magna cum laude tueri,
Largiter & cœptos his compensare labores.
Primus & hic sacri tractans mysteria uerbi,
AVRIFABER superas docuit transcendere sedes.
Et Christi lacerum fidè direxit ouile,
Non illo nostris alter constantior annis,

Nec mes

Nec melior pietate fuit. Nec maximus heros
Dilectas Phœbo ueteresq; Machaonis artes
Negligit: at triplices linguas, artesq; medendi
Te doctum BORDinge uocat, Phœbūq; iacentem,
Et studium patrijs Medicinæ exornat in agris.

Et qui præterea studio iuuere fideli
Hancq; Scholam fama superas uexere per arces.
Hos inter VENETVS magno celebratur honore,
Qui sit nobilium cum nomine clarus auorum:
Ætheri tamen ingenti flagrauit amore
Dogmatis, & titulos in eo doctoris adeptus,
Eximia docuit populum cum laude, meisq;
Proposuit ueræ summam pietatis alumni.
Scilicet hic summus, quod non bene creditur illis
Nobilitatis honos, sic gloria uera paratur.

Nunc me præcipue uos ó mea numina Musæ
Efficiunt celebrem, doctissimus ille CHYTRÆVS
Qui me sincero miseram complexus amore
Ardet amans, & cui uerè mea gloria curæ
Nil intermittit, merito quo nomine felix
Dicar & è solitis caput erexisse tenebris.

Me quoq; depressam conatu promouet omni
BVRENIVS senior, facundo nobilis ore,
Quem Ciceroneæ præclara scientia linguae,

Sermo

Sermonisq; decus Germanis tollit in oris.
Aonijq; tenens clarus fastigia montis
Ardua BOCERVS, dulces qui sapius illic
Ducere cum Nymphis ad carmina uestra Choræas
Gaudet, & extensa summo de uertice dextra,
Aonios etiam cupientes scandere montes
Inuitans iuuenes, qua sit uia proxima, monstrat.

Et decus ille etiam uestrum cum laude tueri
Cœpit, adhuc florens uernantis honore iuuentæ,
Et retinens summi SIMON cognomina PAULI.
Nuper is eximia summos ob laudis honores,
Pectoris & dotes, & dulcis flumina lingue,
Cum reliquis clari est nomen Doctoris adeptus.
Nunc læsus teneri fixusq; cupidinis arcu,
Vritur ingenuo præstantis amore puellæ,
Sponsus & hæc celebrat præsentia gaudia luce.
Ergo precor, quia iam medium Sol aureus axem
Obtinet, ac minimas à uertice contrahit umbras,
Ocyus ut mecum notam properetis ad urbem.
Nunc etenim niuæ Sponsum coniungere sponse
Festinat solito uenerandus more Sacerdos.
Et quia uos primis coluit constanter ab annis
Impiger, & magnos Sponsus tolerare labores,
Sapius ob uestros non intermisit honores:

Conueniet

Conueniet uestro uos nobile carmen alumno
Vnanimi cantare sono, quod mulceat aures,
Scilicet hoc ideo nostris succedere testis
Tempore uos una uolui. Tunc ocius omnes
Arripuere uiam. Residensq; in margine ripæ
Auditosq; sonos tacito sub pectore uoluens
VVernouius properare Deas ad mœnia sensit.
Dumq; uidet comtas solenni ueste puellas,
Ducere festiuas cithara resonante choræas,
Et noua coniugij SIMONI munera sponso
Gratari, & læto testari gaudia uultu
Fatidico tales depromsit carmine uoces.
Non equidem miror cœlo lucere sereno
Splendidius solito Phœbum, nec Pleiades imbres
Fundere consuetos, bibulas nec in æthere nubes
Aeris aut nimbos Phœbeam pellere lucem:
Cum tanta iuuenis præstans uirtute, puellam
Moribus ornatam pulchris, modo scedere lecti
Legitimoq; sibi sponsus coniungat amore.
Ipse etenim Sponso tanto iam lætor honore,
Sapius ad nostras nam carmen amabile ripas
Dum cecinit, medijs me delectauit in undis.
Illius idcirco thalamis lenissima facta
Comprecor, & mihi si uerum, qui nosse futura
Creditor

Creditur á multis Proteus, non irrita dixit:
Non ita post multos lustris uenientibus annos,
Ipsius aspiciam genialis pignora lecti,
Ad mea crescentes decerpere flumina flores,
Et mülcere meas blandis concentibus aures.
Dixit & argentes celeri pede fugit in undas,
Prorsus & ima petens animum caput abdidit antro.

Interea Musæ, Phœbo duce, clara Rosarum
Mœnia contigerant. longo stans ordine uulgus,
Aspicit attonitum pulcherrima numina Musas.
Sed tamen ignorat quæ sint, quæ dona subinde
Humano generi præstent, ideoq; nec illis
Exhibet eximios quales debebat honores.

Ast ubi ueniissent sub celsi limina templi
Ilicet accurrit doctorum turba uirorum,
Sponsus & imprimis iuuenum comitante cæterua,
Musarumq; ducem Phœbum, doctasq; sorores
Numina sat bene nota sibi, cum fronte serena
Excipiunt, & eas templi in penetralia ducunt.

Cumq; preces solito finisset more Sacerdos:
Talibus ex templo Musas affatur Apollo
Carminibus, siluere uiri, siluere puellæ,
Quæq; prius totum compleverant organa templum,
Dum loquitur Phœbus, strepitu tacuere represso.

APOLLO

APOLLO

Plerides, nostri cum muneris esse sciatis
Inprimis celebrare Deum, summosq; Monar;
Præstantesq; Duces, et eos qui uestra secuti (chas,
Castra, decus nomenq; sibi laudemq; pararunt:
Præcipue celebrandus erit fortissimus ille,
Et cui præcipuum non inuidet alter honorem,
Dilectusq; Deo, nostro & celeberrimus Heros
Tempore, IOANNES ALBERTUS, sedulus omni
Qui studio nostrumq; decus nostramq; cohortem
Prouchit, ac uere nutrit pietatis alumnos,
Ceu pater, & cuius celebris quod in urbe Rosarum
Floret adhuc multis Academia nota sub oris
Muneris est. Hic nos ad Balthica littora primus
Effecit celebres, iuuenes hic largus egenos
Quos sperat doctos olim magnosq; futuros
Adiuuat, & Christi sponsam cum laude tuetur.
Principis at quoniam tantas deducere laudes
Temporis est multi, plus dicere desino, namq;
Tempus adhuc ueniet cum te dux magne, tuasq;
Carmine cum Musis iactabo ad sidera laudes
Vbertus, rerum pro maiestate tuarum.
Tunc etiam te clare MYLI, & te magne Lucane,
Teq;

Teq; ò iustitie multum celebrande sacerdos
Docte David, simul atq; alios laudabimus omnes,
Consilio quorum dux laudatissimus utens,
Construit abiectis alibi pius atria Musis.
Nunc Ducis eximio Musæ præstantis alumno
Eius & ad citharam noua dicite carmina sponse.

CLIO.

GLoria Pegasæi laus & celeberrima fontis
Sponsus adest, nostri fama decusq; chori.
Quem grauis exornat pietas, qui sacra fidelis
Semina cum magna dexteritate iacit.

Quem docuit Deus ipse, bonas qui gnauiter artes
Cum magna iuuenes sedulitate docet.

Estq; SIMON Christi uerè, & tuus optime PAVLE
Nam studet ex scriptis discere multa tuis.


Et tecum quia doctrinam proficitur eandem,
Nomen id eximium conuenienter habet.

Ille Suerinea, patre Consule, natus in urbe est,
Hic ubi diuini principis aula nitet.

Instituit puerum Lunæ præceptor in urbe
Lofius, ingenio dexter, & arte ualens.

Hic tanto iuuenes spacio post terga reliquit,
Quanto currentes pulchra Atalanta procos.

Inde



Inde aliquantisper nouus hospes in urbe Rosarum
Deditus ingenuis artibus ille fuit.
Postea Leucorea Cygnæum carmen in urbe
Ex ore audiuit magne Philippe tuo.
Atq; ea quæ uigili perceperat ipse labore,
Cum magna cœpit laude docere suos.
Principis at patrias iussu reuocatus in oras,
Leucorea liquit clara Lycæa Scholæ.
Doctor & in sancta celebrandi principis aula
Vindelicos petijt cum duce fidus agros.
FERDINANDVS ubi celebrans comitia Cæsar
Imperij cunctos iussit adesse duces.
Ante sed in solitas, annum, feliciter oras,
Inq; huius redijt culta Roseta Scholæ:
Et cum KITTELIO nuper, doctoq; CHYTRÆO
Nobile Doctoris nomen adeptus habet.
Fidus & ætherei tradens pia dogmata uerbi
Eximium decus est præsidiumq; Scholæ.
Hunc ô Christe Deus rege flaminis igne deinceps,
Ut soli faciat plurima grata tibi.

EVTERPE.

OMnes exuperat uelut micantes
Stellas mirifico Venus nitore:

Sic mæ

Sic magni gregis & puellularum
REGINA est, thalamos modo iugales
Que prestans subit & nitens puella.
Prestat moribus hæc enim pudicis,
Miro est ingenio, nitore vultus,
Hæc castis precibus potest uocare
Christum, quem studio colit fideli.
Hanc blandæ Charites, decens Minerua
Ornant muneribus suis, eiq;
Donant cum facie decus modesta.
Hæc dum fila manu trahit tenella,
Aut pingit uarios acu colores,
Vincit Penelopæ manum perita.
Hæc Sponsum reuerenter & pudice
Ardenti tamen & simul suau.
Et uero colit ac amat fauore.
Hoc desiderio uirum Rebecca
Ifacum coluit, Rachel Iacobum.
Alcestisq; suum decens maritum.
Hæc constans, pia, nec minus fidelis
Sponso est perpetuo comes futura,
Euadne Capaneu uelut tuorum
Fatorum socia & periculorum
Indefessa fuit, rogamq; tecum

B 2

Ac ipsam

Ac ipsam subiit necem libenter.
Sed sortem thalamis benigniorem
Concedent superi, magisq; letam
Vestris, & tribuent toros beatos.

THALIA.

EXimio genitore sata est pulcherrima sponsa
Digna parente suo.
Illi namq; parens prestans LAURENTIVS ille
Vir pietate fuit.
Cuius & ornavit mentem sapientia, pura &
Integritatis amor.
Et cuius genitor Vismari consul in urbe
Bis tria lustra fuit.
Huic uiridem Lauri pulchramq; in Iure coronam
Noster Apollo dedit.
Postea sustinuit præclarus in urbe Senator
Iudicis officium.
Semper & ardenti doctos complexus amore est
Doctus & ipse, uiros.
Et primo genitam sociali foedere iunxit
Docte CHYTRÆE tibi.
Siq; ea quæ nostris sunt iam diuus in oris
Cernit ab arce poli:

Altera

Altera quod nubit Doctori nata SIMONI

Gaudet in arce Poli.

Nec pro coniugij dubitat successibus alnum

Sollicitare Deum.

MELPOMENE.

MARGARIS uerè, decus & perenna
Fœminas inter reliquas uenustas
Mater est Sponsæ, pietate casti &
Laude pudoris.

Nata BERCHOLTO patre, qui Senator

Filias tres cum Charites haberet,

Consuli BOLDEVVANIO uerendo

Tradidit unam.

Duxit ANDREAS aliam Senator

Diues, & sensit thalamum beatum.

Attamen gaudens petijt beatas

Utrâq; sedes.

MARGARIS sed iam modo sola restat,

Atq; matronas micat inter omnes,

Vt solet plena radijs micare

Cynthia luce.

Æquat hæc castis ueterem SVSANNAM

Moribus, quamuis Rosa gratiosa

B 3

illa sit

Ulla sit, uincit ueteres Sabinas
Oris honore.

TERPSI
CHORE.

DEVS creator ipse coniugalia
Iubet uigere sœdera,
Viriq; cum sua puella iunctio
Miris placet DEO modis:

Et coniugum sincera copulatio
Est castitas DEO placens.

Contra uagas libidines odit DEVS,
Pœnis eos & obruit,

Qui limites pudoris illegitimo
Sanctos amore transeunt.

Immisit undas sic priore seculo,
Sic Sodomitas perdidit,

BENIAMIN & tuæ tribus pars maxima
Scelus per illud concidit.

A filio pulsus DAVID Rex pessimo
Pœnam luit libidinis.

Sic ciuitas Leuctrensis ipsa perditio
Regno iacet Laconico.

Sic Vane

Sic Vandali Romam feroces obruunt,
Hispaniam Saraceni.

Omni uagas libidines sic tempore
Mens pura punijt Deus.

Sed qui sua sancta lege foedera
Colunt, eos et diligit,

Et uult in horum sanctus ipse Spiritus
Habere sedem pectore.

Horum proinde spiritus DEI sacer
Cor incolit iam coniugum.

ERATO.

Suaui coniugij simulq; castus
Ac ardens amor, est imago dulcis
Pingens foedera quae colit

Christus cum populo suo fideli.

Hunc totis etenim uelut medullis
Ac ex pectore diligit:

Proq; illo uoluit mori libenter:

Atq; Ecclesia quod potest uicissim
Pro Christo patiens facit:

Tali sic quoq; coniuges amore

Coniuncti, retinent fidelitatem,
Cordis uiribus omnibus.

Et solam uelut ipse Christus illam
Non Turcos amat, aut feros Papistas,

Hæc & non alios amat:

Solum non aliter uirum puella
Solam non aliter uir & puellam

Toto pectore diligit.

Et Christus uelut agmini fideli
Quidquid morte sua boni parauit,

Et dat maxima munera.

Illi cumq; opus est crucis salubre
Imponens onus, efficit beatis

Aptam sedibus, ac piam:

Atq; Ecclesia laudibus uicissim

Christum ceu celebrat, premitq; si quid
Sponsum sollicitat suum:

Sic iuncti socio thoro benignam
Fortunæ faciem minusq; letam

Inter se tolerant simul.

Et Christus generat uelut subinde
Cælestis socios domus futuros,

Sancti munere spiritus.

Sic iuncti socio toro, tenellos
Cultores pueros DEI futuros

Signum, post sua funera.

Defenditq;

Defenditq; gregem uelut fidellem
Contra multiplices trucidis furores

Mundi, filius hic Dei:

Defendit quoq; sic suam maritus
Vxorem, nec ei sinit nocere

Asmodee tuos dolos.

Ignoscitq; uelut patris supremi

Peccatum soboles suis libenter:

Mitis nec minus hos amat.

Condonat quoq; multa sic maritus

Sponsæ, cum sine labe nemo uiuat,

Mitis nec minus hanc amat.

POLYMNIA.

HVC huc uenite protinus,
Qui nostra nunc Scholastici

Lyceæ culta uisit,

Huc huc uenite protinus.

Non uos laboribus dare

Hac conuenit iam tempora,

Quin illa præceptoribus

Dicata sint fidelibus.

Et uos uiri clarissimi

Istam docetis qui Scholam,

B 5

Ornalis

Ornabitis præsentia
Nostri SIMONIS gaudia.
Gaudere cum gaudentibus
Et flere uos cum flentibus
Decet, proinde gaudijs
Adeste nunc præsentibus.
Sponsoque faustas nuptias,
Sponseq; fata prospera,
Torique leta pignora,
Optate, leto carmine.

VRANIA.

CLarius in medio splendet Sol lucidus axe
Locum tenens et optimū prospera fata nos
Iustus & in prima Chiron regione refulgens, (tat.
Sat fausta promittit nouis letaq; multa toris.
Scilicet hic idem tibi tunc radiauit in ortu,
Cum natus in patris domo candide spōse fores.
Prosper & in nona fulgens Cyllenius arce,
Et Castoris per septimam sidera clara domum.
Multa sat ampla nouis promittunt commoda tædis,
Gubernet euentum probans talia uimela Deus.
Et tu iustitiæ Sol maxime Christe SIMONEM
Sponsum docentem sedulo dogmata sacra rege.
Et thaa

Et thalamos ipsi tribuas sponsæq; beatos,
Et trāsfer hos in cœlicas celsa p̄ astra domos.

CALLIOPE.

CVM carmina grata sonarint
Reliquæ cum laude sorores:

Decet & me dicere pauca,

Et sponso fœusta precari:

Ardens rutilare Pyropus

Solet auro inclusus, & alti

Decus est Sol aureus axis,

Cum cœlum lumine complet.

Prestans uirtutibus uxor

Decus est domus, illa maritum

Recreat solamine dulci,

Hæc est mage nobilis auro.

Coniunx quia tempore tristi

Solamen dulce marito est,

Et cum fortuna secunda est

Illi noua gaudia præstat.

Ergo tibi candide sponse

Grator, quod fidere dextro

Cœlesti & munere, coniunx

Tibi sit concessa petenti.

Procul

Procul hinc discedite lites,
Veniât concordia dulcis,
Adamantina uincula mentes
Iungant, & corda duorum.
Charitum pia numina uestros
Circumdent undique lectos,
Et ceu complexibus hærent
Duo corpora, sic duo corda.
Sit mutua gratia lecti,
Qualem cum turture coniunx.
Colit imbellisque columba,
Vlmo ceu uitis adhæret.
Læti per gaudia prolem
Socij noua pignora lecti
Producite, laudibus ipsos
Referant qui rite parentes.
Tenere in sic agmine turbæ
Materq; paterq; nitebunt:
Inter ceu Luna minora
Micat & Sol splendidus astra.
Spectacula nulla uideri
Istis mage dulcia possunt,
Cum iuncti corde parentes
Inter sua pignora ludunt.

Hæc bene

HÆC bene si memini doctæ eecinere Sorores
Carmîna, dum te clare SIMon sponsamq; uenustam
Exornare student, meritaq; extollere fama
Nituntur raræ tibi tradita munera sortis.

His ego coniungam mea uota, tibiq; precabor
Dulcia legitimi cum coniuge gaudia lecti,
Cunctaq; quæ tædas faciunt thalamosq; beatos.
Det Deus, ut tecum sociales impleat annos,
Et superas tecum coniunx ascendat in arces.
Illic iustitiæq; decus, uitæq; coronam
Perpetuæ impositam capiti gestabitis, atq;
Maxima coelestis cernetis gaudia uitæ,
Gaudia non ullis intermoritura diebus.
O ter felices quibus alti regia coeli
Est domus, hi spernunt perituri gaudia mundi
Sed cernunt faciemq; Dei, cunctosq; fideles
Angelicosq; choros, O gaudia uera perenni
Tempore quæ durant & ab omni labe serena
Continuant nullo felicia secula fine.

FINIS.

PSALMVS
CXXVII. QVO DI-
gnitas & foelicitas coniugij, splen-
dide illustratur, carmine redditus,
in honorem nuptiarum, clarissimi
uiri D. SIMONIS PAULI,
& pudicissimæ uirginis
REGINÆ SMEDES.

O Nimum foelix, omniq; ex parte beatus,
Qui dominum uere diligis atq; times,
Illiusq; uias teneris sectaris ab annis,
Et cupis illius iussa seuera sequi:
Te poterunt manuum semper nutrire labores,
Hos quia dextra Dei prouehit atq; iuuat.
Et tua felici procedent facta tenore,
Euenient uotis cuncta petita tuis.
Et tua sponsa uelut uitis generosa uigebit,
Vndiq; quæ uestram cingit amœna domum,
Te faciet multa secundum prole parentem,
Et tribuet socij pignora multa tori,

Que uce

Quæ ucluti plantæ pulchræ crescentis oliuæ
Ornabunt mensam garrula turba tuam.
Quas tu delicias, propriæ & conuiuia mensæ,
Omnibus imperijs lætior anteferes.
Aspice qua ratione pio se corde timentes
Adiuuet ætherei cura benigna Dei.
Te Deus aspiciet de celso mitis Olympo,
Et tribuet uitæ tempora longa tuæ.
Florentemq; tibi patriam seruabit, ut omnes
Aspicias faustos lætus abire dies.
Gaudebisq; tuos senior spectare nepotes,
Et foetum placida pace tenere solum.

NATHAN CHYTRÆVS.



ROSTOCHII


Ex officina Stephani Myliandri.

Anno 1561.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ROSTOCK

Erstausgabe in Mithras
Am 1. 2. 8. 1.



Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1670867226/phys_0036

IX
CX
gnita
didè i
in b
u

O
Iliuq; t
Et e
Te pot
Hos
Et tua f
Euc
Et tua sp
Vnd
Te faciet
Et ti

MVS
QVO DI
as coniugij, splen
ar mine redditus,
arum, clarissimi
NIS PAVLI,
na uirginis
SMEDES.
nniq; ex parte beatus,
uere diligis atq; times,
s ab annis,
uera sequi:
per nutrire labores,
rouehit atq; iuuat.
ta tenore,
petta tuis.
nerosa uigelit,
ingit amœna domum,
m prole parentem,
ra multa tori,
Que uca

